



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**HORATII TVRSELLINI || ROMANI || E SOCIETATE IESV ||
LAVRETANAE HISTORIAE || LIBRI QVINQVE. ||**

Torsellini, Orazio

Romae, 1597

Cap. 9. Iulij II. decreta, nouique templi molitio. & nobilium dona.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64112](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64112)

nono anno, quam venerant, ad salubriora migrarunt loca. Horum in locum pij aliquot Sacerdotes, sed mercenarij à Cardinali Patrono substituti, qui ad Leonis Decimi Pontificatum durarunt, qua tempestate res tandem ad Canonicos venit.

Iulij II. decreta, nouique templi molitio, & nobilium hominum dona. Cap. 1X.

EXempto rebus humanis Alexandro Sexto, Pius Tertius sublectus Pontifex bonus, sed breuis adeo, vt vix tertiam hebdomadam excesserit. Pio Iulius Secundus subrogatus, religione erga Lauretanam Virginem nulli Pontificum secundus. Is quippe anno quarto Pontificatus sui, siue Xyfti Quarti patruj exemplo, siue quod in Pontificia ditone armis recipienda, imploratam Lauretanæ Virginis sensisset opem, Lauretanam Aedem summa ope ornare coepit. Omnium primum, rem ad augendam loci religionem efficacissimam, veterem Aedis famam Pontificia authoritate altius in mortalium pectoribus defigendum ratus est. Itaque in primi diplomatis sui proœmio, Urbani VI. Bonifacij IX. Martini V. Maximorum Pontificum decreta Aedi Lauretanæ perhonorifica perstringit. Hinc Lauretanæ Domus primordia exsequens cubiculum esse ait (vt piè creditur, & fama est) B. Mariæ, vbi illa concepta, vbi educata, vbi ab Angelo salutata Christum conceperit alueritque. Hanc deinde ædem ab Apostolis consecratam, ac diuinitus primum è Nazaretho, exinde è sylua latrocinij infesta in collem duorum fratrum; hinc ob fraternas rixas in eum, vbi nunc sita est, collem demigrasse. Deinceps præfatus, se non minore studio teneri Lauretanæ Domus ornandæ, quam Paulum Secundum, aut Xystum Quartum, quorum præclara in eam extarent beneficia; confirmat illorum munera, immunita.

Iulij II.
Bulla, & testimonium.

Tulij II.
beneficia.

munitatesque . Lauretanam insuper Aedem, denuo in tutelam Pontificis receptam Pontificium sacellum appellat, sacra inibi officia solemniter ritu similiter, vt Romæ in sacello Pontificis, peragi iubens . Porrò Lauretani templi ministris omnibus indulfit, vt Pontificij familiares, & cōuictores essent eo iure, quo qui optimo . Ad hæc Præto-rem Laureto præsidere iussit à Pontifice diligendum, cui etiam mistum dedit imperium. Ex quo tempore oppidum Lauretum Recinetensium ditioni exemptum sui iuris esse cœpit . Annonam quoque & alia venalia Lauretum deferentes omni portorio, ac vectigali immunes esse voluit . Interdixit etiam ne quisquam dona, seu pecunias B. Mariæ Lauretanæ oblatas auerteret, cum excommunicatio- nis latæ sententiæ minis . Per id quippe tempus plurimis non pecunijs solum, sed etiam muneribus sacram Aedem auctam reperio . Georgius Monachus Patavinus B. Virgi- nis Lauretanæ effigiẽ ex argento expressam, pondo libra- rum quinque, donum attulit . Cardinalis Tranensis alte- ram eiusdem formæ ac materiæ effigiem, sed ponderis duplo maioris. alij alia, quæ exsequi operæ non est.

Lauretum
exemptum.

Georgij
Monachi
D.
Card. Tra-
nensis D.

Paralytica nobilis mulier sanatur.

Cap. X.

Bom. Cyril.

Fuit hoc ipsum tempus etiam miraculis insigne . illud autem præcipuum, quod incidit in annũ M. D. VIII. Longus quidam Neapoli fuit vnus è Consiliariis Regiis, clarus in paucis . Huius coniux femina primaria (ex viri cognomine Longa dicebatur) omnibus capta membris, acerbissimis insuper discruciatâ doloribus miserrimã trahebat vitam, morti quam vitæ similiorem. Itaque ad vltimum damnata ope medicorum, exorat virum, vt Lauretum deferri ipsam iubeat . Quò vt peruentum est, generũ suum itineris comitem rogat, certum vt sacrum in augu-
stissima